Illud quoque perspiciendum est quod si idem tetragoni et parte altera longiores disponantur ita ut alternatim sibi permixti sint, tanta in his est coniunctio ut alias sibi mediis proportionibus communicent, discrepent autem differentiis, alias vero differentiis pares sint, proportionibus distent. Disponantur enim in ordinem huiusmodi illi superiores tetragoni et parte altera longiores ab uno.

I. II. IIII. VI. IX. XII. XVI. XX. XXV. XXX.

Ergo in superiori formula hoc maxime intuendum est. Namque inter unum quidem tetragonum et duo dupla proportio est, inter II et IIII dupla. Hic igitur tetragonum cum parte altera longiore atque hic consequenti tetragono eadem proportione iunguntur. Differentiis vero non eisdem. Namque duos atque unum sola unitas differentia est. Sed idem II a quaternario solo binario relinquuntur. Rursus si II ad IIII speculeris dupla est proportio. Si quaternarium ad VI habitudinem sesqualteram recognosces. Hic igitur in proportionibus discrepant, in differentiis pares sunt. Namque IIII a duobus et VI a IIII eodem binario distant. In sequentibus quoque eodem modo sicut in superioribus fuit ratio constat. Nam eadem proportio est, differentiis non eisdem. Nam IIII ad VI et VI ad IX sesqualtera proportione iunguntur. VI autem quaternarium duobus, IX vero senarium tribus praetereunt. In sequentibus quoque eadem ratio speculabitur et semper alternatim, nec eodem proportiones aliae differentiae sunt. Nunc autem ordine permutato eisdem differentiis, aliae proportiones semperque in quibus differunt secundum naturalis numeri ordinem tetragoni et parte altera longiores sese superabunt, tantum quod geminatio summarum naturalis numeri fit progressio. Quod mirum videri non debet. Hos enim ipsas summas tetragonorum et parte altera longiorum geminavimus ad primas secundasque proportiones.